



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. LVI. De Obligatione Subditorum erga Reges, & Principes, horumque erga suos subditos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

mnium coram Deo. Cajetan in *Summa Verb. Episcoporum peccata*. Emin. Cardin. Tolletus lib. 5. cap. 4. Genuens. in *Manuali Episc.* cap. 41. Squillant. *dict. part. 1. cap. 24.* Ex quibus discere possunt Episcopi, quæ, & quanta teneantur facere, ut dispendium æternæ salutis effugiant: quàm laboriosus, & periculosus sit status Episcopalis.

CAPUT LV.

Quam Obligationem habeant Parochiani erga Parochos; & hi erga suos Parochianos?

1. *Quer.* In quibus consistat obligatio Parochianorum erga suos Parochos? *Resp.* Præter Reverentiam, Obedientiam, & Dilectionem tanquam filii erga Patres Spirituales, de quibus supra, ad tria præcipua eorum obligatio reducit. Unum est, quòd in Paschate recipiant Eucharistiam à suis Parochis *cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnitent. & Remiss.* Barbosa de *Parocho cap. 20. n. 10.* Alterum, quòd iisdem Parochis fideliter solvant Decimas, seu Quartas *cap. Parochianos. cap. A nobis. cap. Nuper, de Decimis.* Tertium, quòd in morte recipiant Sacrum Viaticum, & Extremam Unctionem ab iisdem suis Parochis, & sine illis non sepeliantur, solvantque iis Quartam funeralem. *Rota part. 2. recent. decis. 340. num. 1.* Barbosa, de *Parocho d. cap. 20. num. 31. cap. 22. num. 2. & cap. 25. num. 1.*

2. *Quer.* Quæ sint Parochorum obligationes erga suos Parochianos? *Resp.* Ultra bonum exemplum per vitam immaculatam tenentur Parochi: Primò, prædicare verbum Dei, explicare Evangelium, notificare vigilias, diesque festos, ac docere pueros doctrinam Christianam. Secundò, administrare Sacramenta tam sanis petentibus, quàm infirmis, & eis assistere in articulo mortis. Tertiò, elemosynas facere suis Populis indigentibus de redditibus beneficii, sibi ad honestam vitæ sustentationem non necessariis. Et Quartò, Parochianorum publica peccata corripere; lites concordare; & pro populo orationem jugem, ac sacrificium diebus Dominicis Deo offerre; de quibus omnibus piè, eruditè, ac doctè agit P. Paulus Segneri in aureo Opusculo *II. Parocho Instruito*; quem non legisse Parochos, magnum erit periculum; non enim invenient excusationem, si prædictas suas obligationes omiserint, & eos cavere oportet à peccatis omissionum, ut ostendi de Pœnitentia *decis. 21. num. 13.* quam observare juvabit.

CAPUT LVI.

Quæ sit Obligatio Subditorum erga Reges, & Principes suos, & horum erga Subditos?

1. *Quer.* Quæ sit Subditorum obligatio erga suos Reges, & Principes? *Resp.*

Primò, ad Reverentiam, Obedientiam, & Dilectionem, ut supra de Prelatis probatum est. Secundò ad fidelitatem. Tertiò ad solvenda tributa, & datia, seu vectigalia. Et quartò ad effundendum sanguinem, & dandam propriam vitam pro salute Patriæ, ac ipsius Principis. *Coron. lib. 5. Controv. 6. num. 26. & 27. & Controv. 12. num. 46. & 47.*

2. *Quer.* An subditi, qui fraudant gabelas, & datia, peccent mortaliter? *Resp.* Affirmative, secundum magis probabilem opinionem, quam tueretur Farinac. de *Furtis quest. 173. num. 5.* ubi DD. cumulat. Et quamvis aliqui requirant, quòd gabella sint proportionatæ Principis necessitati, & Subditorum facultatibus; his ita respondet Seraphin. Massin. de *Confiscatione quest. 21. num. 45.* Videlicet: Ego tamen non recederem à Farinacio volente, fraudantem peccare, & ad restitutionem teneri, quoniam sicut est nefas dubitare de Principis auctoritate; ita non est presumendum, quòd inconsulto, & temerè voluerit gravare Subditos, quorum commodis ipse assidue invigilat.

3. *Quer.* Quæ sit obligatio Regis, aut Principis respectu Subditorum? *Resp.* Tueri Fidem, ac Religionem, Populum ab injuriis, tam Hostilibus, quàm Civilibus defendere. Virrutes, ac Litteras fovere. Crimina plectere. Magistratus merentibus, & rectè gesturis commendare; ac bonis Consiliariis uti. *Azor. part. 2. lib. 11. cap. 5. & 6. Coron. d. lib. 5. Controv. 9. num. 55.* In quibus omnibus, si Reges deficient, mortaliter peccant peccato omissionis; at de his peccatis tremebat, & expavebat in sua agonia, & in puncto mortis Philippus III Rex Hispaniarum, ut notant Annales Sacerdotii, & Imperii ab Illustrissimo, ac Reverendissimo Episcopo Baptaglino nuper publicati ad Ann. 1621. num. 14. in fine.

CAPUT LVII.

De Quinto Præcepto Decalogi.

1. *Quer.* Quæ prohibeantur in hoc Præcepto? *Resp.* Duo prohiberi. Homicidium, nec non Odium erga proximum. Tollet. lib. 5. c. 11. *Azor. tom. 1. lib. 3. cap. 12. & tom. 3. lib. 2. c. 1.* ubi advertit, ex prohibita hominis occisione venire quamcunque vulnerationem, mutilationem, verberationem, ac percussione; & sub prohibitione Odii comprehendendi quamcunque invidiam, affectum vindictæ, simulationes, seditiones, & illicita dulidia; quæ novissime prosequitur Maltrius in *Theolog. Mor. disp. 11. num. 102.* Et è contra tenemur diligere, proximum sicut nosmetipsos.

2. *Quer.* An sint aliqua Propositiones damnatæ circa dilectionem Proximi? *Resp.* Esse duas, Unam; Non tenemur Proximum diligere actu interno, & formali. Alteram: Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. Ita Innocent. XI. *Propos. 10. & 11.*

CAPUT